

ptūs, seu ut repræsentent ea objecta eâ ratione, quâ illi conceptūs repræsentant: Locō rerum autem, non ut id præstent, quod res præstarent, sed ut ego eōdem modō me geram vocibus in oratione positīs, ac me gererem ipsis rebus. Sicut enim demonstrato homine rectè dicerem: hoc est animal rationale; sic hac voce *homo* positâ dico: Homo est animal rationale.

§. 27. Sed eōdem etiam modō pro rebus poni voces, quod ponuntur pro conceptibus, ex his ipsis Oviedi verbis probatur vī relationis. Si enim vocibus positīs ego ita me gero, sicut me gererem rebus, utique voces apud me idem præstabunt, quod res præstarent. Nec obstat, quod dicat, res se ipsas non posse repræsentari, de hoc enim paulō post dicetur.

§. 28. Accedit, quod suppositio non nisi terminis simplicibus seorsim, non toti orationi conjunctim tribuatur, conceptūs autem quidam sunt conjuncti, non similiter res. Hinc Arriaga 2) sæpius non veretur dicere, *voces supponi pro rebus; quas significant*, utut hac in re cum Mendoza faciat.

2) disp. Log.
13.

§. 29. Locum Aristotelis quod attinet, planè in alienum trahitur sensum, ut facilè patet inspicienti caput 1. Elench. nec adeò ineptus fuit Philosophus, ut putaverit, modō res de quibus disputamus, præsentēs essent, vocibus opus non esse. Sed pro rebus nos uti vocibus dixit, quia disputare, aut quid sentiamus, quomodo argumentemur & consequentias nectamus per res ipsas declarare non possumus.

§. 30. Ex hisce nunc patet, quid de suppositionis definitione à Mendoza prolata sentiendum. Sc. definiri eam inadæquatè, & secundùm quid, sc. in ordine ad disputationem, ubi affirmamus, negamus, argumentamur, adeoq; non exhausti totam quidditatem definiti, nec cum ea reciprocari. Insuper etiam nimis obscura est, cum non adeò facilè intelligatur, quid sit *signum sensibile locō conceptūs constituere propositionem circa significatum termini mentalis*. Ut ita faciliùs ipsa res intelligatur, quàm ejus declaratio, ut proinde verè in eam quadret, quod supra ex Augustino citavimus.

§. 31. Nec etiam placet definitio Arriagæ, quia non intendō principaliter, nec etiam semper manifestare meum conceptum,